# M. Lepidi IIIVIRI. Argentea.

In una parte.

1. Cephalicon est muliebris ornatissimæ, ac præstantissimæ formæ, tutulatæ, capillo calamistrato, in ceruice nodo aureo illigato, sine ulla literarum nota.

In altera.

Eques uictoriosus Lepidus ad leuam it: Trophæum insigne gerit humero, cuius cuspis est tridens. infra. M. LEPIDVS. per circuitum deinde. AN. XV. PR. HO. S.C. Nummum hunc argenteum uidi aliquando Lugduni apud D. Gulielmum Caulium.

In una parte.

2. Lepidus uidetur incoronatus, dextra facie, cum nominis epigraphe. M. LEPIDVS IIIVIR. R.P.C.

In altera.

Mars uictor nudus, conuersus stat, galeam indutus, dextra summam hastam apprehendens, sinistra tenens paraZonium, pede læuo scutum præmens humi deiectum. Circumscriptio. L. MVSSIDIVS T.F. LONGVS IIIVIR. A.P.F. Nummum hunc argenteum sum conspicatus apud Antonietum Romanum Antiquarium.

In una parte.

3. Lepidus depingitur inornatus, læua facie, cum nominis titulo. LEPIDVS PONT. MX. IIIVIR.R.P.C.

In altera.